

sacerdotum, sed laicorum, chori ministerium profiteantur, quia optime per illos exerceri potest, et est fini eorum accommodatum, scilicet, ad contemplationem; non tamen idem est de omnibus religionibus sacerdotum; quia sacerdotis officium non est solum divinis officiis, sed maxime salutem hominum procurandam insistere, ut Gregorius dixit in 3 p. Pastoralis, cap. 4; et Concilium Aquisgran., cap. 8, et sumitur ex multis decretis apud Gratianum, 16, quæst. 1, cap. *Placuit*, cum similibus. Et ideo, licet religio clericorum, quæ solum quoad priorem partem eorum ministerium usurpat, merito etiam in divinis officiis publice et cum cantu versetur, religio tamen sacerdotum, quæ totum eorum ministerium, et præcipue illud, quod ad salutem et profectum animarum pertinet, proficitur, non poterat convenienter in choro et cantibus occupari.

7. *Corollarium primum, in quo Soti dictum reprehenditur.*—Ex his ergo satis constat pessime dixisse Sotum, præcedenti capite, num. 1, citatum, religionem, sine obligatione dicendi officium divinum in communi institutam, vix nomen religionis mereri. Nam præterquam quod illud est præter Pontificum approbationem, nullo fundamento nititur; quia chorus vel recitatio officii canonici in communi non est de substantia religionis, ut est per se notum; neque etiam est medium necessarium ad illam sustinendam, vel ad perfectionem assequendam, quia charitas multis aliis modis perfici potest. Et potest aliqua religio habere finem accommodatum perfectioni charitatis, ad quem medium illud non sit proportionatum. Quomodo D. Thomas, quæst. centesima octogesima octava, dixit, posse institui religionem ad opera vitæ activæ in operibus misericordiæ corporalis, vel ad temporalem militiam, ad quos fines medium illud accommodatum non est. Nec Soto affert aliam rationem, nisi quia talis religio maximo splendore religionis careret, quasi vero substantia et perfectio religionis ex hoc splendore metienda sit; vel non possit etiam salvis operibus virtutum, et præcipue ex spiritualibus effectibus et beneficiis circa proximos sufficientem, ne dicam majorem splendorem habere.

8. *Corollarium secundum, non posse imperfectionis argui eo quod choro careat.*—*Instantia bipartita.*—*Solvitur prior pars.*—*Solvitur posterior.*—Secundo sequitur ex dictis, non posse Societatem argui quod imperfecto aut indebito modo instituta sit, eo quod hoc splendore seu munere careat, quia (ut recte

dixit D. Thomas, dict. quæst. 188, a. 7, ad 1), quando aliquod opus est instrumentum ad perfectionem, non consistit perfectio religionis in tali instrumento, aut in quantitate vel modo ejus absolute spectatis, sed cum debita proportionem ad finem talis religionis. Chorus autem non est ipsa perfectio, sed instrumentum ad perfectionem, et ideo absolute non fuit Societati necessarius, et alioqui non erat proportionatum instrumentum ad finem Societatis, et ideo ad perfectam institutionem ejus non fuit necessarium, neque conveniens tale medium. Dices, esto non sit medium proportionatum speciali fini Societatis, esse fere necessarium ad generalem finem religionis contemplativæ, quam non debet excludere finis particularis Societatis, si ipsa perfecta religio est. Unde, eo ipso quod Societas talem habeat finem proprium, qui medium illud convenienter non admittat, convincitur esse imperfecta religio, etiam si intra suos limites cum perfectione instituta sit. Respondeo ad priorem partem negando assumptum; quia sunt multa alia media, quibus finis vitæ contemplativæ comparari et exerceri potest, alioqui monachi et eremitæ, qui solitariam vitam profitebantur, non fuissent professi perfectam vitam contemplativam, quod plane falsum est; quamvis enim desit publicus et corporalis cantus, potest laudari Deus, ut instruimur Ephes. 5, in *hymnis et cantibus spiritualibus*, et privatis. Accedit, quod cantus publicus magis usurpatur, quia est utilis Ecclesiæ ad excitandos homines ad devotionem, et laudem Dei, quam quia sit necessarius vel simpliciter, vel moraliter ad propriam et internam perfectionem vitæ contemplativæ earum personarum, quæ in hujusmodi exercitio occupantur. Unde ad alteram partem negatur etiam assumptum, quia, licet finis proprius Societatis hoc medium non requirat, neque cum illo habeat convenientem proportionem, nihilominus in se perfectissimus est, et secum admittit, imo requirit magnam perfectionem vitæ contemplativæ, ut in capite superiori demonstratum est. Denique ostensum est, finem hunc esse omnium perfectissimum, et ideo, quidquid cum illo non habuerit convenientem proportionem, profecto necessarium non est ad religionem simpliciter perfectam, ut ex sequenti illatione magis patebit.

9. *Corollarium tertium, Societatem, etiam si choro careat, non esse imperfectionem religionibus illum habentibus.*—*Interrogationi quorundam satisfi, ex D. Thoma et Gregorio.*—Tertio,

CAPUT IX.

UTRUM SOCIETAS ARCTAM SIMPLICITER AN LAXAM REGULAM PROFITEATUR.

ex dictis infero, ex hoc capite, quod Societas chororum non habeat, inferri non posse esse minus perfectam aliis illum habentibus. Sicut D. Thomas paulo ante citatus dixit, religionem, quæ majorem paupertatem proficitur, non debere statim gloriari, quod aliis simpliciter perfectior sit, sed ad summum secundum quid, quia potest ab alia excedi in his quæ pertinent ad obedientiam vel continentiam, quæ majora sunt, et quod in melioribus excedit, est simpliciter melius. Sed quid habet Societas proprium, quo possit bonum illud æquari, ne dum superari? Respondeo ex doctrina ejusdem D. Thomæ, et Gregorii, n. 6, citati, functiones illas, quibus directe salus animarum procuratur, non solum æquare, sed longe excedere bonum illud; ostendimus autem in his functionibus, et in perfectione et obligatione earum non pauca habere Societatem sibi propria, et nulli alteri religioni ex vi sui instituti convenientia; ergo ex hoc capite potius excedit in eo quod simpliciter melius est. In quo etiam considero hunc excessum non solum esse in his, quæ ad vitam activam pertinent, etiamsi functiones illæ hujus vitæ actus esse videantur. Nam zelus animarum, a quo illæ functiones debent procedere, ad actus vitæ contemplativæ pertinet, et est maxima pars perfectionis ejus, cum ad perfectionem charitatis proximi formaliter pertineat, et in perfecta charitate Dei radicatus esse debeat. Est autem hic zelus suo modo proprius et peculiaris hujus instituti, quatenus cum speciali perfectione illum postulat et intendit. Nam, in 4 p. Constitutionum, cap. 3, dicitur, *hanc Societatem exercendam esse in charitate, et zelo animarum, quo omnia hominum genera complectatur, ut eorum serviat spirituali utilitati.* Et decima parte, § 2, potissima media Societatis ad suum finem esse dicuntur, *probitas et virtus, ac præcipue charitas, et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum ad gloriam ejus, qui eas creavit et redemit, quovis alio emolumento posthabito.* Hæc ergo sunt, quæ Societatis vitam etiam quoad partem contemplativam maxime perficere possunt, et chori jacturam non solum supplere, sed etiam superare.

1. *Ratio dubitandi.*—Ut secundæ objectioni relictæ in c. 7, n. 2, radicatus et plene respondeam, præsentem quæstionem tractare visum est. Quia enim Societas vitam minus austeram in his, quæ ad externam corporis tractationem pertinent, scilicet, in victu et vestitu, assumpsisse videtur, ideo calumniantes aliqui in eam objiciunt, quod laxiorem regulam observet; quibus ex hæcenus dictis non satis responsum videtur, quia fieri optime potest ut religio aliqua ex fine suo, et aliquibus ministeriis majorem quamdam dignitatem habeat, et nihilominus sub laxiori regula vivat. Sic ergo religio Canonicorum regularium, eo quod sit religio sacerdotum, et ad officia, quæ in divinis mysteriis peraguntur, ordinatur, specialem ac propriam habet dignitatem. Et nihilominus in cap. *Quod Dei timore*, de Statu monachor., de illis dicit Innocentius III, *quod regulæ inseruiunt laxiori.* Hoc autem non videtur alia ratione dictum, nisi quia licet in cæteris religiose vivant, in his, quæ ad corpus pertinent, nullam specialem observant asperitatem, sed commodum, licet temperatum, vivendi modum habent. Ergo eadem ratione dicenda est laxiori regulæ Societas inseruire. Atque hoc aliqui ita exaggerant, ut inde velint persuadere hominibus religionem hanc imperfectissimam esse, eo quod ejus professores delicate (ut ipsi aiunt) vivant, nihilque a secularibus discerni videantur. (Dominicus Bannes, Relectione de charitate).

2. *Discrimen inter austeritatem, penitentiam, et arctam regulam.*—*In quo austeritas vite consistat.*—*Quid penitentia.*—*Arctitudo regulæ quid sit.*—Ut ergo calumniam hanc excludamus, et quid rei veritas habeat aperiamus, tria hic distinguenda sunt, scilicet, penitentia, austeritas, et arcta regula; sunt enim hæc valde distincta. Quia austeritas vitæ, prout in præsentem, et juxta communem modum loquendi sumitur, significat specialem asperitatem in externa ac ordinaria, et communi corporis tractatione, ad quam præcipue pertinet, quoad victum, abstinentia a carnibus, et erit major, si sit etiam a lacticiniis, et gravior, quo etiam in quantitate ciborum, et

in jejuniorum frequentia fuerit durior. In vestitu ordinaria austeritas est, non uti lineis internis; erit autem major, quo indumentum fuerit asperius, vel etiam simplicius; atque hinc etiam spectat non uti calceis, sed nudis pedibus ambulare. Denique etiam in lecto cernitur hæc asperitas, in non utendo panno lineo, sed lanceo, vel in alio duriori usu lecti, usque ad humiebationem. Pœnitentia verò latius patet, nam præter hæc, quæ numeravimus, quæ certe ad pœnitentiam pertinent, potest aliis modis fieri non tantum animo, sed etiam corpore (ita enim nunc loquimur), per actiones aut res quæ secreta et occulte fiunt, licet in exteriori habitu non appareant. Hujusmodi sunt secreta et privata flagellationes, cilicia, extraordinariæ vigiliæ, graviores labores ex pia causa assumpti, et similia. Rigor autem seu arctitudo regulæ, non solum in his rebus, imo nec principaliter in eis consistit, sed subtilius ac spiritualius (ut existimo) pensanda est. Nam, licet arcta regula sufficientem austeritatem vel pœnitentiam non omitat, principaliter autem consistit in rigorosa trium votorum observatione, et in omnibus observantiis quæ ad illa per se reducuntur, tanquam media ex se necessaria ad perfectam illorum custodiam, vel tanquam digni fructus illius. Ut, verbi gratia, in observatione castitatis regula arcta est, quæ non solum omnem actum aut motum turpem comprimit, sed etiam omnium sensuum mortificationi invigilat, et omnia verba, non solum lasciva, verum etiam quomodocumque vana, et quæ vel remote possunt puritatem offendere, omnino vetat, prohibet ac coercet; et sic de aliis. In paupertate multa numerari possent, quæ c. 3, num. 5 et 6, tacta sunt, quorum summa est, ut unica ratio utendi temporalibus bonis sit necessitas, et hæc sit omnibus communis; ustis vero sit in omnibus dependens a Superioris arbitrio. Maximus vero rigor, et regulæ arctitudo esse potest in obedientiæ observantia; nam, sicut illa est cæteris excellentior, ita etiam est difficilior, et majorem abnegationem propriam, majoremque omnium affectuum abjurationem postulat. Et hic merito dici potest maximus rigor religiosæ regulæ; nam, ut Gregorius dixit: *Minus unicuique est abnegare quod habet, valde autem multum est abnegare quod est.*

PRO QUESTIONIS RESOLUTIONE PRIMA CONCLUSIO.

Societatem non profleri definitam austeritatem, aut pœnitentiæ modum pro omnibus sociis communem.

3. Fatemur igitur ingenue non profiteri, quoad regularem et omnibus propositam observantiam, definitum aliquem austeritatis aut pœnitentiæ modum; ita enim in ejus constitutionibus expresse cautum est. Nam in Examine, capite 1, § 6, sic dicitur: *Ratio vivendi in exterioribus justas ob causas, majus Dei obsequium semper intuendo, communis est, neque ullas ordinarias pœnitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet.* Idemque in aliis constitutionibus declaratur, quas postea referemus; et in bulla, in qua Julius III cum majori declaratione institutum confirmavit, hæc sunt ultima verba in narratione seu declaratione instituti Pontifici proposita: *In his, quæ ad victum, et vestitum, et cætera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem et approbatum usum sequentur; ut quod inde pro cujusque necessitate, vel spiritualis profectus desiderio subtractum fuerit, ex devotione, et non ex obligatione, rationabile obsequium corporis Deo, prout expediat, offeratur.* Et nihilominus statim subdit Pontifex, *nihil, quod pium sanctumque non sit, in dicta Societate, ejusque laudabilibus institutis reperiri, eaque omnia ad suorum, et aliorum Christi fidelium animarum salutem, et fideli exaltationem tendere;* ergo ex sententia Pontificis, etiam quoad hanc partem hoc institutum pium est et sanctum, et ad prædictum finem egregie accommodatum, quod nobis superest explicandum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Societatem uti debere pœnitentiis, et afflictionibus corporis, modo in Constitutionibus præscripto.

4. Probatur conclusio ex variis locis Constitutionum. — Dico ergo secundo, Societatem ex vi suæ regulæ uti debere pœnitentiis, et afflictionibus corporis, modum tamen utendi illis prudenti et sapientissima ratione in ejus regula esse præscriptum. Utraque pars ex eisdem constitutionibus probatur. Nam in dict. cap. 1 Examine, § 6, post verba superius citata subditur: *Sed illas (scilicet pœnitentias, et corporis afflictiones) assumere quis poterit, quæ sibi videbuntur (cum approbatione superioris) ad majorem sui spiritus profectum convenire, et quas propter eundem finem, su-*

periores eis poterunt imponere. Circa quæ verba solum expendo verbum illud poterit, aut poterunt. Potuisset enim Beatus Ignatius uti verbo deberit; ne tamen videretur obligationem aliquam in conscientia inducere, ab illo verbo abstinuit; in universum enim noluit regulam hanc specialem obligationem in conscientia importare. Si tamen verbum debendi non dicat obligationem sub culpa aliqua, sed solum directionem regulæ ad id quod perfectius est, et per ipsam regulam consulitur, sic vere possumus dicere, debere Societatis alumnos, ex vi hujus regulæ, uti afflictionibus corporis, duobus illis modis in ipsa præscriptis. Debent enim quantum est ex se has pœnitentias desiderare et petere, et juxta arbitrium sui Superioris illas fideliter exequi. Quod si quispiam in hoc negligens fuerit, debet Superior pro ratione sui muneris, quo tenetur subditos ad majorem profectum spirituales juvare, et non defectus punire solummodo, tales pœnitentias injungere; tunc vero manifestius est debere subditos illas assumere, cum ad perfectionem tendere ex vi sui status teneantur; atque in hoc sensu intellecta est hæc regula ab universa Societate, prout ratio ipsa majoris perfectionis postulabat, et perpetua etiam consuetudine, quæ est optima legum interpret, eandem intelligentiam consummavit. Unde, in sexta parte Constitutionum, cap. tertio, paragrapho primo, de professis Societatis agens Beatus Ignatius, cum dixisset in corporali exercitatione jejuniorum, vigiliarum, aut aliarum rerum ad austeritatem, vel corporis castigationem spectantium, nullam regulam eis præscribendam esse, nisi quam discreta charitas unicuique dictaverit, dummodo consulatur confessor vel superior, subdit: *Hoc tamen dicitur in universum esse quidem animadvertendum, ne nimius hujusmodi rerum usus tantopere vires corporis debilitet, ut deinde spirituali proximorum auxilio juxta nostri instituti ratione non sufficiant; nec contra, tanta in illis sit relaxatio, ut fervore spiritus refrigerante, humani ac inferiores affectus incalescant.* Et 3 p., cap. 1, § 12, admonentur omnes, *ut pœnitentias omnes, vel mortificationes, et devotiones confessori vel Superiori aperiant, nolentes suo proprio sensu duci, voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent;* a rectitudine (inquam) religiosa, id est (ita enim interpretor), ab eo quod melius, et gratius Deo est. Hæc enim debet esse regula etiam in pœnitentiis agendis. Unde, in

capite secundo ejusdem tertiæ partis Constitutionum, § 5, dicitur: *Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta in virgillis, et abstinentiis, et aliis pœnitentiis exterioribus ac laboribus, quæ ei nocumentum afferre, et majora bona impedire solent. Ideo suo confessario delegi ab unoquoque convenit quidquid in hac parte faciat, qui si judicat excedi mensuram, aut certe dubitat de excessu, illum ad superiorem remittat.* In quibus et similibus regulis, considero fuisse majorem curam Beato Ignatio adhibendi remedia ne in hac parte excedatur, quam ne deficiatur; supponit enim hanc posteriorem curam, et in subditis, utpote viris spiritualibus, et orationi deditis, non defuturam, et in superioribus debere esse maximam, et ideo cum excessum vetat, semper significat religiosam curam se exercendi in operibus pœnitentiæ, et afflictionibus corporis, quantum cum aliis laboribus Societatis conjungi possint, ex vi hujus instituti debitam esse in sensu paulo superius declarato. Et præterea, in 6 p., cap. 2, paragrapho decimo quinto, de vestitu in particulari admonet, *ut honestus sit, et ad usum loci accommodatus, et professioni paupertatis non repugnans, et humilitatis ac submissionis indicia præbens.* In paragrapho autem decimo sexto: *In iis (ait) quæ ad rationem victus, somni, ac usus reliquarum rerum vite necessariarum vel convenientium spectant, quamvis communis illa sit, minimeque diversa ab eo, quod medicus illius loci, in quo vivitur, judicabit, ita ut quod quisque sibi inde subtraxerit, ex devotione, non ex obligatione subtrahat, habenda tamen semper erit ratio humilitatis, paupertatis, ac spiritualis edificationis, quæ semper nobis in Domino ob oculos versari debet.*

5. Quo consilio B. Ignatius certas pœnitentias non præscripserit toti Societati. — Prædictum consilium testimonio Patrum suadet. — Ex his ergo omnibus satis constat, Societatem ex vi suæ regulæ debere operibus pœnitentiæ, et austeritati corporis insistere, magnamque illarum rationem habere, aliqui magnam profecto religionis, ac perfectionis instrumentum Societati deesset; quamvis enim in his afflictionibus corporis sanctitas non consistat, tamen negligendæ nullo modo sunt, quia et ad cordis puritatem purgando priora delicta, præcavendoque sequentia, et ad humilitatem, ad Christi imitationem, ac plures alios spirituales fructus necessariæ sunt. Consilium autem Beati Ignatii fuit, non eandem regulam aut modum pro omnibus præscribere

re, quia in tanta varietate personarum ac habitudinum ut ipse alias dixit¹) certa regula præscribi nequibat, ideoque prudenti iudicio Superioris mensuram unicuique proportionatam remittit. Quam vero fuerit hoc consilium prudentiæ ac sanctitatis plenum, facile ex antiquis Patribus et ratione intelligi potest. Basilii enim, interrogatione 19 ex fusioribus, quæ erat: *Qui modus servari in continentia debeat?* respondet: *In vitiis quidem animi unus continentia modus est; summa earum rerum, quæ ad pestiferam voluptatem ferunt, a nobis alienatio; in cibis autem, quemadmodum aliis alii necessarii sunt, pro ætate scilicet cuiusque, ac studiis, hique apposite ad corporis cuiusque habitudinem distincti, ita quoque diversa sunt usus illorum, modus, ratioque; quo fit ut nequaquam omnes uni et eidem regulæ subijci possint.* Et ideo hanc justam distributionem seu convenientem accommodationem Prælo committit, qui providere debet ut nulli desit, quod necessitas petit, neque aliquid immoderatum alicui tribuatur, afferens illud Actor. 4: *Dividebantur omnia singulis, prout unicuique opus erat.* Eandem regulam fere præscribit Augustinus. Nam capite 2 Regulæ sic inquit: *Distribuantur unicuique vestrum a Præposito vestro victus et tegumentum; non tamen omnibus æqualiter, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legis in Actibus Apostolorum, etc.* Et capite 11: *Carnem vestram domate* (inquit) *jejuniis, et abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit.* Hinc auctor² sermonis vigesimi quinti ad fratres in eremo, fratres introducit interrogantes: *Numquid in via nostra semper jejunare debemus?* respondet: *O fratres mei, legem recepistis, et audistis frequenter inter cætera, quod carnem vestram domatis abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit; nolo enim meipsum ligare; nolui onera vestra portare, sed hoc solum super vos ponere, ut jejunetis et abstineatis, quantum Deo juvante potestis.* Denique ejusdem regulæ interpretes³, et ejusdem familiæ alumni intellexerunt Augustinum, summa discretionem pollentem, non præcepisse in

¹ Tertia parte Constitutionum, c. 1, lit. E, et sæpe alibi.

² Auctor sermonis ad fratres inter opera D. Augustini.

³ Ex eremitis, Ambr. Coriolan. in Comm. 21; ex Canoni. reg., Trull., lib. 4, in eadem regul., cap. 7.

regula determinata jejunia, sed prudenti arbitrio, juxta uniuscujusque vires, definienda reliquisse. Unde idem Augustinus, multa quæ ad similem prudentiam pertinent circa ciborum usum, in eadem regula prosequitur usque ad regulam 18, in qua de vestitu sic inquit: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* Benedictus etiam in capite 40 regulæ: *Unusquisque* (inquit) *proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius vero sic; et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus et vestitus aliorum statuitur.* Quæ verba accommodate ad nostrum propositum exposuit Turrecremat., tract. 105, in expositione regulæ. Eodem modo Cassianus, libro 5 de Institutis renuntiantium, capite 5: *Super jejuniorum* (inquit) *modo haud potest facile uniformis regula custodiri, quia nec robur unum cunctis corporibus inest, nec sicut cæteræ virtutes, animi solius rigore parantur; quod late prosequitur. Pallad. etiam, capite 38 suæ Historiæ, refert regulam ab Angelo Beato Pachomio revelatam, cujus unum caput erat: Concede unicuique ut comedat et bibat pro ratione virium, et pro viribus comedentium; eis quoque manda opera, quæ proportionem convenient ac respondeant, et nec jejunare prohibe, neque comedere, siquidem fortibus fortia opera, imbecilla autem et levia his, qui imbecilliores sunt, conveniunt.* Denique Eusebius, lib. 9 de Præparat. Evangel., cap. 1, de Essenis loquens (quos tractatu octavo diximus, cum Hieronymo, Epiphano et aliis, in Ecclesia fuisse ex primis religiosi qui sub Marco Alexandria floruerunt), inter alias regulas instituti eorum in præsentia materia, hanc ait servasse: *Cibus et potus vitæ necessitate mensuratur.* Non omittam etiam hoc loco verba quibus sancti cujusdam juvenis vivendi rationem Sanctus Chrysostomus refert, libro 3 contra vituperatores monasterii vitæ, post medium; nam Beati Ignatii consilium ad unguem exprimere videntur: *Et quod est (ait) mirabilius, exteriori quidem cultu, nihil a cæteris differre videbatur, non enim agrestibus vel incomptis erat moribus, non comæ negligentia, non amictus vilitate nobilis, sed erat communis habitu, voce, aspectu, et cæteris omnibus. Quibus ex rebus factum est ut facilius plurimos contubernaliū intra retia sua includeret, cum haberet intrinsecus incredibilem latentem sapientiam. Denique, si quis illum domi vidisset, unum ex eis esse putavisset, qui montes et deserta incolunt; domus enim ita illi disposita et parata erat, ut in nullo monasterii diligentiam desideraret,*

nihilque necessarii amplius habebat. Talem Beatus Ignatius totam Societatem formari optabat.

6. *Ratione idem ostenditur.* — Ratio autem generalis est, quæ ex medio temperantiæ et similibus virtutum moralium sumitur. Non est enim (ut aiunt) medium rei, sed rationis, et ideo non est unum respectu omnium, sed in unoquoque consideratur per proportionem ad intentum finem, considerata personæ, seu subjecti qualitate, et aliis circumstantiis. Unde recte dixit Gregorius, libro 2 Registri, capite 31: *Cum non plus quam necesse est servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur, tunc veraciter ex charitate convivia prodeunt. Hæc si vos in vestris conviviis agitis, abstinentium fateor magistri estis.* Multa similia late prosequitur Basilii, sermone de Vera virginitate, ubi pro regula circa abstinentiam servandam ponit, ut tanta sit, quanta ad virtutis acquisitionem confert, et subdit: *Integram se in hac parte, atque inviolabilem, sancta virgo caute servabit, corpusque, ut servire queat animæ, in his, quæ sunt necessaria victui, moderabitur prudenter, ac reget; neque enim expedit, dum nimis observat ne gustus voluptate rapiatur, manantesque ex ventre voluptates per ciborum abstinentiam frænare pergit, contra ita corpus atterere, ut invalidum jam inutileque reddatur.* Quod late prosequitur, et post multa subjungit: *Sicut in gulæ intemperantiam declinare grave ac periculosum est, ita per nimiam abstinentiam corpus atterere omni profecto ratione caret; neque enim abstinere a voluptatibus gulæ per se expetendum est, sed quia ad virtutis acquisitionem confert. Quod si illud, cujus gratia ciborum abstinentiam eligimus, per immoderatam negligamus inedia, contra ac instilimus agimus; nam fracto contritioque instrumento, nec Deo inhærere per lectionis et orationis studium possumus, neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire. Igitur et corporis cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed ut servitio illius ad philosophiæ studia uti possimus.* Quibus verbis nulla possunt esse aptiora ad mentem et spiritum Beati Ignatii explicandum. Multaque similia habet idem Basilii in Constitut. monast., capite 5, ubi inter alia hanc regulam constituit: *Continens ventris moderatio ea præstantissima judicanda est, quam vires corporis cuiusque definiunt, quod late prosequitur. Alia ad idem confirmandum sumi possunt ex Cassiano, collat. 2,*

capite 2, et ex aliis locis quæ infra referemus. Non omittam etiam advertere, quod Cajetanus, 2. 2, quæstione centesima quadragesima septima, articulo primo, ex mente D. Thomæ observavit, regulam temperantiæ esse necessitatem vitæ præsentis, quoad duo, scilicet, convenientem sustentationem naturæ quantum ad esse, et quantum ad potestatem exercendi debita virtutis opera. Unde *si quis* (inquit) *tenetur ad aliquod opus, vel liberale, puta ad legendum, prædicandum, cantandum, vel mechanicum, puta ad ædificandum, fodendum, etc., abstinentia impediens potentiam ad hæc non est actus virtutis.* Quæ sententia ad omnes afflictiones corporis applicari potest. Cum ergo medium non sit unum et idem in hac materia pro omnibus personis, merito Societas noluit unam et eandem regulam pro omnibus suis subditis æqualiter statuere, sed vivæ regulæ, quæ est Superior, id commisit. Nec vero propterea improbavit Sanctus Ignatius consuetudinem aliarum religionum, in quibus hujusmodi austeritates per generales regulas statuta sunt; nam in eis sancte et prudenter id fieri potuit, quia, licet non ab omnibus æqualiter possint observari, possunt tamen a pluribus; ac regulariter possunt hæ dispensationes esse in paucioribus. In Societate autem non ita esse poterat, sed potius oportuisset generalem regulam, si statuenda esset, nimium esse moderatam, propter specialem rationem in ea inventam, quæ a nobis supra, in num. 4, est explicata.

7. *Rationem hujusmodi vitæ ex Societatis fine sumptam esse.* — Societas in hoc modo vitæ communis in exterioribus imitari Christum Dominum. — Ratio ergo specialis, quæ Beatum Ignatium movit, ut hunc vitæ modum communem cum prædicta regula in poenitentibus et afflictionibus corporis assumendis in Societate reliquerit, ex fine ejusdem instituti, qui est animarum salus, desumitur; jam enim in superioribus, capite 2, diximus hunc finem ita esse ab hac religione intentum, ut totum religionis pondus, quoad fieri possit, in illum feratur, ac proinde tota ratio vivendi, et ipse etiam modus inquirendi perfectionem propriam huic fini accommodetur. Propter hunc ergo finem primo factum est, ut ratio vivendi Societatis in exterioribus communis sit. In quo voluit Ignatius socios imitari ducem suum Christum, de quo recte docuit D. Thomas, tertia parte, quæst. quadragesima, art. 1, cum hominibus familiariter conversatum esse, et in his exterioribus, præsertim quæ ad cibum